



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXVI. Sparguntur in varias vrbes socij, sed prius statuunt de Societatis Iesu nomine assumendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Deus eodem tempore, operaque succurrit. Oranti monstratum est cœlitus, quàm sublimi gradu sanctimoniarum singularis apud Deum fulgeret, quem pro vulgari apud se despexerat; & consueverat bonus senex seipsum inculans id narrare, ut inde homines discerent, à cortice nucleum differre.

XXXVI.
*Sparguntur
 in varias
 vrbes socij,
 sed prius stan-
 tuunt de So-
 cietatis Iesu
 nomine assu-
 mendo.*

Conualuerat Rodericius, & Ignatius Vincentiam repetens illuc suos coëgit, deliberaturus omnium consensu de difficultate inuperabili in Palæstinam nauigandi, effecturusque ut noui Sacerdotes suas Deo offerrent primitias quibus comparandis solitudines illas captauerant. Excepit tecto suo omnes Ignatius, erat id inter monasterij veteris rudera, bellorum tempore disiecti, pauci tunc extabant parietes, & ruinosum tegmen, fenestræ nusquam, sed nec fores, nec commoditatis vllius quicquam præter aliquid straminis ad somnum. Panis tamen, & aqua non defuit, quamuis enim per dies quadraginta vni fere orationi datos Ignatium cum Fabro & Lainio bis quotidie oporteret ostiatim ad stipem circuire, sed postquam in publicum ad conciones prodire, tantum mox beneuolentiæ erga illos confluit, ut possent undecim ex collatis sibi elemosynis alere. Sed inhospitæ illius stationis, cœli, ventique iniuriis peruiæ austera mansio, duos lecto affixit, Xauerium, & alium, cuius excidit nomen; quibus ne illic ærumnis interirent, quærendus fuit in nosodochio insanabilium receptus, seu magis inter semirutas, & solas, prope Nosodochium casas, vbi aliquanto meliusculè iis foret, vilis saltem non defuit, sed vnus duobus lectulus, illic febri iactatis ex eo leuamen fiebat difficile, quod rigente vno, alter æstualet, vnique consuli, absque alterius molestia non posset. Verùm hanc illis humani ad corpus subsidij seuæram inopiam pensabat Deus solidioribus delitiis, potissimum verò Xauerio, quæ ut essent eius magnitudini animi anicolors, non abstulere ab eo quæ patiebatur, sed spem ei fecere acerbiora patiendi. Huic igitur per noctem B. Hieronymus adstuit, quem prosequabatur honore præcipuo, utque tantus valebat consolator, cœlesti eum affatu refecit, inde quæ cuique sociorum tribuenda fors foret indicauit, vrbesque de nomine expressit in quas essent mittendi, cessuram verò ipsi Bononiam vbi crux illum quanto spinosior maneret, tanto meritorum feracior. Quæ ut præmonuerat sanctus, sic ad amissim euenerunt. Hic iam obstaculis traiectus in terram sanctam interclusi extra omnem compertis dubitationem; exsolutenda restabat voti pars altera; ad hoc inter illos conuenit, ut Ignatius, Faber, & Lainius Romam irent, & omnium nomine se Pontifici sisterent; in vrbes interim alij spargerentur quæ Academiis florent, vnde seges posset animarum sperari benignior, & noui socij conscriptis adiungi: prius tamen quam diuiderentur, visum est communem inter se statuere vitæ vnus rationem, ac formam quæ seruaretur ab omnibus, nisi quid forte aliquando seu necessitas seu prudentia diuersum posceret. Fuere autem hæc eius capita, Mendicato & elemosynis vitam sustentare, & in nosocomiis hospitium habere. Alternis hebdomadis inuicem præesse, ne quem maior viribus animus, in suscipiendis laboribus falleret, sed præsidis socij moderatione

moderatione regeretur. Concionari per compita, vt vbiicumque se daret occasio; dicendi verò argumenta ex pulchritudine, præmissisque virtutum vitiõrum turpitudine pœnisque legere, & maiori pietatis conatu, quàm eloquẽtiæ tractare. Christianæ fidei capita pueris tradere, & bonis moribus eos informare: quicquid præterea occurrisset iuuandis proximis opportunum, in opus conferre, verum quamcumque aliis impenderent operam, ne obolum quidem in eius mercedem admittere, vna Dei solius cui adlaborassent gloriã abunde contentos; in has leges consensione omnium itum est. Cum autem identidem quari ex iis solerët, quinam essent; cuius instituti tenerent regulam, quid nominis haberent: Responsonem aliquam præscribendam omnibus decreuerunt, in qua semper eãdem acquiescerent percunctantes: nec tamen ea res consultationi permiffa est: Pridem Ignatius, haud ab se priuatim sed coelitus deliberatam illam animo tenebat, ex quo nempe vt constans fama est, in solitudine Mantefana, de vexillis duobus meditantis, Deus prima ipsi Societatis lineamenta descripserat. Sanxit ergo, auctoresque fuisse vniuersi vt de Societate Iesu se esse dicerent, nec alia vsquam vterentur nomenclatione, vt qui vnus Iesu amore, & gloria impulsus in Societatem vnã diuersi conuenissent. His ritè inter se stabilitis, delectũque vrbium habito in quas operam partirentur, post suauiffimos salutationis mutuæ amplexus, Romano itineri Ignatius Faber, & Lainius se dederunt: Xauerius & Bobadilla Bononiam; Ferrariam Rodericius, & Iaius; Pascasius, & Salmeron Senas petierunt; Patauium Codurius, & Hozius.

Cæterum successu admodum diuerso, acceptam quisque obiuit provinciam, quibusdam pati, magis quam agere contigit; pinguior aliorum labor, messem animarum conatibus tulit non imparem. Codurium, quidem & Hozium, vix paucis diebus in nosocomiis & in foris auditos, Episcopi Suffraganeus suspectos habuit, veritũsque ne fucos sanctitatis, vulpem tegerent fraudulentam, coniecit in compedes: quid iis fuerit animi tam subito in casu nox illa prodidit quam vnã egere in carcere, recitandis psalmis, & sermonibus de Deo totam occuparunt, tam effusis interioribus gaudiis, vt cogereretur optimus Hozius dulcissimo arrisu interdum iis aditum laxare. Vulgato eorum carcere, tam densis de illorum virtute, & innocentia testimoniis obrui Suffraganeus cœpit, vt inde postridie eductos ampliffima ornari potestate, quicquid vellent, ac possent in subsidium animarum præstandi. Verũm iis hac vti nondũ licuit, eorum alteri beatam quietem sub ipsis laborum primordiis Deus assignauit. Fuit is Baccalaureus Hozius. Ad populum dixerat paulò ante in hæc Christi verba. *Vigilate, & orate, quia nescitis diem neque horam*, moxque febri ardente iactatus, moneri interius credidit, concionem illam ad se propriè pertinere. Quare abdens sese in nosocomium, ad mortem parandam curam omnem conuertit, ea tamen animi voluptate ex æternæ vitæ fiducia, vt temporariæ iactura præcoci, nullo modo tangi videretur: felici obitu præreptus illorum sortem adeptus est, quos postremum in vineam conductos, primos ad mercedem pater familiæ

XXXVII.

Moritur primus à Societate, eius anima inter beatos ab Ignatio conficitur.